

## Band II., Nr. 357, Seite 106-108

*Bischof Günther von Speyer entschädigt seine Kirche für das, auf Andringen des Königs Konrad, dessen Sohne zu Lehen gegebene bischöfliche Besitztum in Ilfeld durch Abtretung genannter, ihm eigen gehöriger Güter.*

Speyer, 1157. März 13.

In nomine sanctę et individue trinitatis. Gvntherus, dei gratia Spirensium vocatus episcopus, universis qui christiana professione censentur et eorum successoribus in perpetuum. Pietatis fungi munere et in studio karitatis semper proficere generaliter quidem Christianę professioni convenit, illis tamen, qui, in spiritalium amministratione constituti, cęterique pastorali dignitate prelati, pro spiritalibus metunt carnalia, illud quasi proprium et peculiare est, ut eorum ope et opera cultus dei debitum incrementum accipiat, et in domo dei, quam eos vigili cura gubernare oportet, gloria et divitię nec desint, nec deficiant. Eapropter innotescere cupimus universis, quos in sancta religione Christi gubernat imperium, qualiter Heinricus III., divina favente clementia Romanorum inperator augustus, et pro sua et dilecti filii sui Heinrici regis et presente et futura salute, et pro remedio animarum suorum parentum, avi videlicet Cuonradi imperatoris et avię suę Gisilę imperatricis, patrisque sui Heinrici imperatoris, matrisque suę Agnetis imperatricis, suęque dilectissimę coniugis Berhtę imperatricis, et fratris sui Cûnradi, filięque suę Adelheidis, ob fidele etiam servitium et petitionem karissimi Ioannis, Spirensis episcopi, predium quoddam, Ilfeld dictum, in pago Scuzengouve in comitatu Adelberti comitis situm, cum omnibus appendiciis, hoc est utriusque sexus mancipiis, areis, edificiis, agris, terris cultis et incultis, pratis, pascuis, aquis aquarumque decursibus, molis, molendinis, piscationibus, silvis, venationibus, exitibus et reditibus, viis et inviis, quesitis et inquirendis, seu cum omni utilitate, que aut scribi potest aut dici, preter partem eiusdem predii, in villa Iendan<sup>1</sup> nominata sitam, quod ecclesię Sunnesheim dedit, ad altare sanctę Marię in proprium tradidit, ea videlicet ratione, ut predictus Spirensis episcopus ipsiusque successores liberam habeant potestatem, eandem curiam sibi retinendi, ad utilitatem ecclesię commutandi, precariandi. Cum autem Cûnradvn regem Romanorum, predicti imperatoris et proximum heredem et in regno fieri successorem contingeret, ipse, ut predictum predium filio suo in beneficium daremus, sepenumero instantissime postulavit. Porro, ne per nos staret, quominus imperialis sanctio antiqua suum vigorem obtineret, nos

---

<sup>1</sup>Gendach.

## II

in hac parte et minis et precibus prefati regis Cōnradi diu renitebamur, set cum nullam evadendi facultatem haberemus, que et qualis reconpensatio in his ecclesie et fratrum nostrorum utilitati conveniret, attente deliberavimus. Excogitavimus tandem ad hoc, ut indempnitas fratribus conservaretur, ad permutationis remedium confugiendum, et aliud predium pro hoc alienato ecclesie et fratrum usibus esse conferendum, et sic precibus sepedicti regis C. paruumus, non libenter quidem, minus tamen inviti, eo quod ipse donatoris prediorum et successor et proximus heres diceretur. Cuius rei gratia et ipse nobis immunitatem ab instanti expeditione prestitit. Reconpensationis autem modus et quasi permutationis forma hec est. Preoptantes, ut predicto modo alienatum praedium aliquando in proprietatem ecclesie et usus fratrum revertatur, in reconpensationem eius curiam apud sanctum Leonem et curiam in Brūvele, que datae in beneficium nomine feodi possidebantur, recuperavimus, easque non rebus ecclesie, sed patrimoniis, que nobis hereditario iure obvenerant, et que a nobis libere et quiete possidebantur, redemimus. Quod igitur a nobis alienati predii donator de ipso constituerat, nos quoque de curiis patrimonio nostro recuperatis constituimus, videlicet ut de eis episcopus cunctis de IIII claustris fratribus, in anniversario Gisele imperatricis, vespere ad vigiliis et mane ad missam pro defunctis ad maiorem ecclesiam, ubi ipsa defuncta quiescit, convenientibus, in refectorio refectionem honeste ministret. Et ut hec nostra constitutio stabilis et inconvulsa permaneat, hanc cartam inde conscriptam manu propria corroborantes impressione sigilli nostri insignire curavimus. Quicumque igitur ecclesiastica secularisve persona contra hanc nostram constitutionis paginam ausu temerario venire presumpserit, excommunicationi subiaceat, et a perceptione sacrosancti corporis Christi fiat aliena, donec peniteat et emendet. Fiat, fiat. Amen. <br> <br> Godefri-  
dus, prepositus de domo et custos, recognovit. Bertholdus decanus recognovit. Henricus, prepositus de sancto Germano, Rvdolfus, de sancto Gwidone prepositus, recognovit. Uvinemarus, prepositus de sancta Trinitate et magister scholarum, recognovit. Meingotus cum ceteris fratribus recognovit. Testes etiam sunt huius constitutionis liberam quidem condicionis homines: Oddo Sporelin. Marquart et frater eius Godefrit de Heinuelt. Helnger de Mudach. Othgerus de Uvizenloch et ceteri. De ministerialibus vero testes hii sunt: Anshelmus camerarius cum fratribus suis. Heinrich Griez. Cōnradius dapifer aliique conplures. <br> <br> Acta sunt hec Spire III. idus Martii anno incarnationis domini Millesimo CLVII., indictione IIII., imperante Friderico, gloriosissimo Romanorum imperatore augusto, feliciter. Amen. (*Siegel.*)

Der Textabdruck folgt dem Original. <br> <br> In braunem Wachs aufgedrückt

### III

tes Siegel. Das Siegelbild zeigt den im Amtsgewand sitzenden Bischof mit dem Krummstab in der Rechten und einem aufgeschlagenen Buch, worauf PAX VOBI noch erkennbar, in der Linken. Die Umschrift lautet: + GVNTERVS GRATIA DEI SPIRENSIS EPISCOPVS. Unter dem Siegel steht *III.*

## Überlieferung und Publikationen

**Lagerort:**

GLA Karlsruhe

**Signatur/Titel des Originals:**

C 35

**Editionen:**

Acta Theodoro-Palatinae, Bd. 4, Nr. 7, S. 140.

## Weitere Angaben

**Sprache:**

Lateinisch

**Ausstellungsort:**

Speyer

**Ortsindex:**

Brühl Wohnplatz (6271) <br> Brühl, HD <br> Gendach Wüstung (21843) <br> Gendach, Ilsfeld, HN, W <br> Hainfeld, SÜW <br> Ilsfeld Wohnplatz (1993) <br> Ilsfeld, HN <br> Maudach, Ludwigshafen am Rhein, LU <br> Schozachgau <br> Sinsheim Wohnplatz (6553) <br> Sinsheim, HD <br> Speyer, SP <br> St. Leon Wohnplatz (6659) <br> St. Leon, St. Leon-Rot, HD <br> Wiesloch Wohnplatz (6633) <br> Wiesloch, HD